



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Michael Archangelvs. 29. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

diã. *Propter quid Cain occidit Abel?* interrogat, & sibi met respondet. Joannes Ep. 1. c. 3: *quia opera eius erant maligna, fratris autem eius iusta.* O invidia antiquum malum! an non & tu coquis venenum hoc subinde in corde tuo? nunquid etiam *tua facies tibi condidit?* Gen. 4. Invides, quia Deus favet fratri tuo? doleres? quia bene est illi, *Fratres estis, ut quid nocetis alterutrum.* Act. 7.

2. Uti in Abele & Caino sic in Wenceslao & Boleslao virtus documenta dedit, Ideo malos permitti Deo ut coronentur boni, & dotem pietatis esse res adversas, & proborum patrimonium Pati. sed insilite Virtuti, nil territus ab his, Wenceslaum imitare, cui bona conscientia & Angelica custodia fortis armatura fuit. *Eum time, qui potest animam mittere in gehennam:*

3. O dolosam amicitiam mundi! invitatur Wenceslaus ad convivium, ut ab immiti leone innocens agnus raptetur ad macellum. Sic & Cain invitabat Abelem *egrediamur foras &c.* Sic impiorum lingua lambendo venenum spargit. Et quare blandienti mundo adhæres plùsquam Christo invitanti? *Nemo speret in patronis, nemo in amicis aut parentibus cum frater fratrem tradat in mortem.* S. Chryl, hom. 24.

---

S. MICHAEL  
ARCHANGELVS.

29. Septembris.

Factum



*Factum est pralium magnum in cælo,  
Michaël & Angeli ejus, præ-  
liabantur cum Dracone. Apoc.*

cap. 12.

**M**ICHAELEM vides Angelorum bono-  
rum omnium Principem, malorum  
omnium domitorem, Numinis ad mortales  
principes legatum, horum ad cælos du-  
ctorem fidissimum, operumque æquissi-  
mum libripendem. Tam bene itaque de se  
merito Christiana Respublica jam olim tro-  
phæa, aras & templa statuit. Nam ut mon-  
tem Garganum, cujus alibi mentionem feci-  
mus, hîc taceam, D. Joannis Apostoli ætate  
MICHAELIS nomen, quod salutiferas in  
hominum usum aquas eduxisset, apud com-  
plures populos celeberrimum fuit. D. etiam  
Authbertus sub Annum Christianum DCC  
IX. ita jubenti MICHAELI ædem in rupe,  
quam mare undique alluit, exædificavit. Im-  
per. deinde Constantinus, cum ejus auspi-  
ciis hostes suos omnes devicisset, gratitudi-  
nis monumentum splendidissimum tem-  
plum posuit, cujus exempli sui hæredes viros  
deinceps Principes permultos, sed nostrâ po-  
tissimum tempestate habuit. Vidit certè Ba-  
varia



varia in eam magnificentiam sacra D. MICHAELI tecta exurgere, ut aut has ædes terra dignas aut nullas habeat, quas Coeli Princeps post coelum incolat. Quamvis si verum loqui velimus, non tam Angeli nobiscum, quàm nos secum habitare percupiant.

M E D I T A T I O.

*De S. Michaële.*

1. **S** Michaël in Luciferum detrectantem imperium Deo & nolentem Dei filium, qui carnem assumpturus erat, adorare, statim fortiterque pugnavit. Exemplo hujus S. Archangeli cum divina causa agitur, statim & palam profiteare inimicum te esse inimicorum Dei, & quando mundus, voluptatibus, dæmon honoribus te aggreditur, dic ut S. Michaël. *Quis ut Deus? quid honores, quid voluptates & omnia; quæ mundi sunt, quid estis ad Deum meum?*
2. Obsequium S. Michaëlis æterna gloria, superbiam Luciferi æterna ignominia exceptit. Timete superbi! Vanitas ad inferos Luciferum Angelorum pulcherrimus præcipitem egit. Timeamus Deum, *qui in angelis suis recepit pravitatem.* Astra de cælo ceciderunt, & nos terræ vermiculi nihil timemus.
3. Debes colere & invocare S. Michaëlem, utpote cum is Ecclesiæ Princeps adfuturus sit examini totius

tius  
es tr  
tiæ,  
ficiu  
be,

S

S

I

n

tius



tius vitæ tuæ. Heu! quid dicturus? quid facturus  
estremendo illo die, nihil tunc divitiæ, nihil scien-  
tiæ, sola piè facta proderunt. An quæ piè fecisti suf-  
ficiunt ad æternam gloriam? in id potissimum incum-  
be, ut cor purum & conscientiam bonam habeas:

*Nam veniet dies illa, in qua plus valebunt  
corda pura quàm astuta verba, con-  
scientia bona, quàm marsupia  
plena. Bernardus.*

---

## S. HIERONYMVS DOCTOR ECCLES.

30. Septembris.

*Sicut probati sumus à Deo, ut  
crederetur nobis Evangelium,  
ita loquimur non quasi homi-  
nibus placentes, sed Deo qui  
probat corda nostra.*

Paul. ad Thessal. c. 2.

**F**uit HIERONYMVS natione Dalmatica;  
Mundum penè omnem cùm lustrasset,  
neque usquam hic arrideret, pedem extra  
Mun-